

quod Scripturæ contradicit. Rectè igitur Articulus de confectâ sanctitate spirituali Infantum Christianorum ipsis, tanquam falsus, objicitur. Et hæc etiam de IX. Articulo dicta sufficiant.

ARTICULUS X.

I. Quòd (*Calviniani*) Promissiones Evangelii faciant particulares.

De Scopo istius
Articuli.

II. **H**ic Articulus apud eos omnes, quibus propria salus cordi & curæ est, plurimum habere debet momenti. Concernit enim Promissiones Evangelicas de misericordi & benigno Dei affectu atque voluntate restituendi & salvandi lapsos homines: quosnam Deus per illas invitet, seu quibus æternam salutem, per Christum partam, offerat & offerri velit: de quo inter nostram & adversam (*Calvinianorum*) partem haud parùm controvertitur.

Cæterùm, ut omnibus pateat, in quo præcipuè cardo negotii vertatur, sciendum, 1. non de hoc litigari, an omnes & singuli, ad quos benevola de Dei voluntate, sese extendit (ratione oblationis) promissio, istâ pariter Actu etiam perfruantur? Quia enim non omnes & singuli ista Media, quæ universales Promissiones offerunt, sibi applicant: hinc etiam fit, ut collationem & fruitionem Effectus istarum Promissionum non omnes & singuli participant. Deinde applicatio seu collatio & fruitio consideratur tantùm in consequente Dei voluntate, quatenus Deus respicit, quomodo homines Mediis à se ordinatis vel utantur vel ea contempnant, de quo nobis sermo non est. 2. Non etiam contenditur, an collatio & applicatio fructus Promissionum ad solos tantùm fideles attineat: hoc enim respectu utrinque consentimus; quia soli credentes sibi eas applicant: Ideo Effectum & fruitionem earum isti soli consequuntur. 3. Neque hoc

hoc